I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO SOLENNIS

DE

FINE ET OBJECTO JVRIS PVBLICI ROMANO-GERMANICI.

Quam

Divina favente Gratia,

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

DN. JOHANNE SCHILTERO,

JCto celeberrimo, Reipubl. Patriæ Conſiliario Primario Splendidiſſimo, & Profeſſore Jlluſtris Argentoratenſium Univerſitatis Honorario, Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris & obſequii cultu ætatem devenerando,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

Publice Eruditorum Examini ſubmittit

JOHANNES BAPTISTA STÆDEL

Argentoratenſis.

Die ... *A. S. R. M DC XCVI.*

Horis Locoq́ Solit.

ARGENTORATI,

Literis DANIELIS MAAGII.

Illuſtri

Ottoniani Stipendii

DOMINORVM

PRÆFECTORVM

COLLEGIO,

Viris

Generis Nobilitate, Munerum Meritorumque Amplitudine, Maxime Reverenda Dignitate, Conſiliorum Gravitate, Multiplici Experientia, Prudentiaque conſpicuis & eminentibus,

DNN. Patronis ac Mœcenatibus Maximis

Exercitium hoc Academicum conſecrat, ſeque & Studia ſua ulteriori eorundem Patrocinio humillime commendat.

TANTORVM NOMINVM.

Devotiſſimus ac Devinctiſſimus Cliens.

Reſpondens.

§. I.

Finis Reip. Germ.

ANalyticâ methodo tractandam noſtram Juris Publici Prudentiam dictum fuit: quæ quum à Fine Reip. atque Status Germanici Imperiì incipiendum eſſe jubeat, conſequens eſt, ut de eo à plerisque omnibus ferè omiſſo, quædam tractemus. Atque finis ſcopusque cujuslibet Reip. generatim quidem eſt, SALVS REIP. & beatitudo civilis, isque externus, internus verò Virtus civilis, ſive actiones ejus. Ariſtot. 3. Polit. 3. *τῶν πολιτῶν ἡ σωτηρία τῆς κοινωνίας ἔργον ἐστι.* quæ vel ex Romuli, Numæ atque Anci Marcii inſtitutis duplex imprimis eſt, PIETAS & JVSTITIA: Dionyſ. Halicarn. *L. 2. Antiq. Rom. de Numa: Inſtauratâ omnium ordinum concordiâ, ut de communi conſilio provideretur Reip. —— duarum rerum imprimis habitâ ratione, quas exiſtimaret magnopere pertinere ad felicitatem & incrementum civitatis;* *Εὐσέβειαν* *ante omnia docuit homines, quia dii mortalibus omnium bonorum auctores ſint & conſervatores: deinde* *δικαιοσύνην*, *per quam conceſſis divinitus commodis bellè frui liceat.* Hinc fluit ſumma diviſio Statûs Reipublicæ atque Imperii noſtri in Statum Eccleſiaſticum & Secularem, itemque Juris circa ſacra & circa civilia, quodque Sacerdotii quidem officium circa cultum divinum atque religionem verſetur, Magiſtratus verò ſecularis functio circa æqualitatem inter cives conſervandam: at utrumque tamen & ſacerdotium & magiſtratùs civilis munus ab uno eodemque capite dependet, in quo ſumma Reip. poteſtas reſidet, cui ſummum Imperium commiſſum & tranſmiſſum à populo, cujus tanquam capitis conſervatio & conſervatio populi, tanquam corporis, unum conficiunt ſcopum: nec altera alteri præferenda: nec capiti conducere exiſtimandum, quod corpori nocet: ſicut & id, quod capiti conducit, non poteſt non corpori prodeſſe. De differentia Eccleſiæ & Reip. Vid. *de L. E. G.* 1:1,15. ubi de duob. capitibus Reip. Germ.

generalis

extern.

intern.

Imperium & Sacerdotium

Jus circa ſacra

§. II. Utriusque Status, Eccleſiaſtici atque Secularis conſervationem ſumma Poteſtas Reip. Germ. pro fine ſibi præfixam, exercuit, ſæpe tamen ob intervenientia impedimenta, magis remiſſiusve. Antiquiſſima Celtarum tempora, & Germanorum adhuc gentilium, ſi inſpiciamus, etſi non una fuit Reſp. ſed plures, & in plerisque Imperium penes Populum, in paucis penes Reges, nec id abſolutè; ſacerdotium quoque penes certum ordinem erat, ſed ita, ut hujus fines ultra proprium objectum extenſi, & executio pœnarum quoque civilium ei commiſſa, Tacito teſte, communi Populi conſenſu & conceſſione: idque ex iſta potiſſimum ratione, ut Juſtitia & ejus executio Pietate & Religione metuque Numinis eò magis ſtabiliretur, ne inter efferos veterum mores in tyrannidem aut ſeditionem vergeret. Poſtquam porrò ſub imperio Francorum Germania in unam Remp. coaluit, uterque finis ille ita obſervatus, ut moribus jam mitioribus factis, iſta ſacerdotii extenſio ſublata ſit. Egregiè præ aliis demonſtravit Petr. de Marca, *Archiep. Pariſin. Lib. 2. c. XII L. VI. c. XXII. L. IV. c. V.* Reges Francorum jus circa ſacra oppidò curaſſe, ut etiam jus habuerint, acta Epiſcoporum, etiam Romanorum, Canonibus adverſa reſcindendi. Ordinis verò Eccleſiaſtici auctoritas quæ fuerit apud Francos exponit Nithardus *lib. IV. pr.* de conventu Ludovici & Caroli fratrum, Regum Franciæ, agens, ait: *Aquispalatium, quod tunc ſedes prima Franciæ erat, petentes, ſequenti die quid conſultius de populo ac regno à fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et primum quidem viſum eſt, ut rem ad Epiſcopos ſacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent, ut illorum conſultu, velut Numine divino, harum rerum exordium atq; auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam meritò ratum videbatur, commiſſum eſt.* Et poſt non multa: *Veruntamen ſolito more ad Epiſcopos Sacerdotesque rem referant, ut quocunque divina auctoritas id vertere vellet, nutu ipſius, libenti animo præſtò adeſſent.* Hunc finem, atque hanc curam circa Fidem Catholicam atque religionem Chriſtianam orthodoxam, & ſurrepentium abuſuum reformationem, quàm ſtrenuè Carolus M. atque ejus Succeſſores, Imperatores Germanorum Carolus III. imprimis, Ottones, Henrici, Friderici, Ludovicus Bavarus atque alii cordati Impp. obſer-

Supra t. 2. §. 2.

de L. E. G. 2: 2.

obſervaverint, atque etiam noviſſimè Carolus V. & Maximilianus I. & II. eò collimaverint, in Commentariis de Lib. Eccl. Germ. fuſius dictum, itemque in Libro de Pace Religioſa.

§. III. Præter generalem atque aliis pleriſque omnibus Rebusp. communem ſcopum, dantur quoque peculiares & ſingulis Rebusp. proprii fines atque ſcopi, id quod ſpeciatim τὸ *Intereſſe* cujuſvis Reip. appellant, itemque *Rationem Status* h.e. utilitatem Reip. alicujus peculiarem. De quo Plato *lib. XII. de LL. pag.* 694. ſcribit: *In qua libet civitate alia legum poſitio ad aliud, & alia ad aliud reſpicit. Et alius iſtorum finis eſt, ut aliqui* (pauciores) *ſive meliores illi quidem, ſive pejores in Rep. dominentur. Alii ut ditentur, ſive ſerviant, ſive non. Aliorum ſtudium vertitur ad LIBERTATEM. Alii leges ad duo condunt, ut & ipſi liberi ſint, & alias urbes ſubigant. Qui verò ſapientiſſimos ſe putant, ad hujusmodi omnia ſimul.* Inter hos peculiares ſcopos LIBERTATEM Celtis, Francis atque Germanis ab initio ſtatim usque ad hoc momentum præ aliis omnibus placuiſſe receptamque fuiſſe, ex univerſa antiquitate ſatis conſtat. C. Tacitus de *M. G. cap. XXXVII.* 4. ſcribit: *Ducenti ferme & decem anni colliguntur, tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio, multa invicem damna. non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliave, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. quippe regno Arſacis acrior eſt GERMANORUM LIBERTAS.* —— *proximis temporibus triumphati magis, quàm victi ſunt.*

Finis peculiaris

Libertas

§. IV. Cauſa, ob quam libertatis adeò cupidi fuerint Majores, primò *natura* ipſa eſt: quæ quò generoſior alicujus populi exiſtit, eò libertatis quoque avidior eſt. Generoſa autem ea demum natura eſt, quæ rectæ rationi paret. Nam ut ait Plutarchus lib. de auditione: τῷ λόγῳ τοὺς ἑπομένους ἄξιόν ἐστι μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. i. *rationi qui parent, ſoli digni ſunt, qui pro liberis habeantur. Soli enim hi vivunt, ut volunt. qui quid velle debeant, didicerunt.* Engelbertus Abbas Admontenſis in Auſtria, *lib. de ortu & fine Rom. Imperii*, egregia ac ſolida hoc de fine habet, ac *cap. IX.* ait: *Sola vera & plena libertas eſt vera & plena felicitas, & per oppoſitum, vera & plena ſervitus eſt vera & plena infelicitas. Libertas autem vera intelligitur, quæ eſt libertas animi à malitia concupiſcentiæ infeſtante, & à dolore indigentiæ cruciante, & à timore*

Cauſæ 1.

Gold. Polit. Imp. p. 754.

inſufficientia contriſtante. Talem autem fuiſſe Germanorum naturam, Romani hoſtes faſſi ſunt. *Nemo enim illic vitia ridet*, ait Tacitus cap. XIX. & XX. de M. G. *nec corrumpere & corrumpi, ſeculum vocatur. plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.* Atque Chriſtianiſſimus auctor Salvianus Maſſil. *Lib. IV. de Gubern. Dei*, demonſtrat, ſuo ævo Francos, Saxones, Gothos aliosque barbaros, quos vocabant, etiam adhuc gentiles aut hæreticos ſaltem, Romanis meliores moribus ac naturâ longè fuiſſe. *quantum ad vitam & vita acta, doleo*, inquit, *ac plango* nos Romanos Chriſtianos *eſſe pejores* illis. Altera cauſa fuiſſe ne-
2. ceſſitas videtur & aliorum affectatio imperii univerſalis in alios populos, quam à Nimrodo præſumtam atque Nino ut eò magis effugerent Celtæ, Gomeri poſteri, in has oras Germaniæ Galliæque emigrarunt ex oriente per Illyricum & ſecundum ductum Iſtri fluminis, ut videtur. Neque enim cum iſtis facere poſſumus, qui indignam nomine Germanico & Celtico originem à Scythis petunt, qua de re alibi fuſius & à nobis tractatur. Inſequentes Monarchiarum & univerſalium Imperiorum conditores, atque proximi imprimis Romani eò magis, majores noſtros ad libertatem ſuam defendendam coëgerunt, quo magis eam eis eripere laborarunt, donec tandem ita avitum hoc bonum ſibi vindicarunt, ut Romanis & libertatem & Imperium ipſum eriperent. Acceſſerat quoque ipſorum Celtarum multitudo & ubertas in plures populos effuſa ac diviſa, quorum quisque optimas ſedes affectare, alterumque propellere, aut ſubjugare variis emigrationibus conſuevit.

Species §. V. Sed ut hunc ſcopum peculiarem dilucidius expo-
1. namus, ſciendum eſt, eum eſſe duplicem, intrinſecum atque
æqualitas extrinſecum. Cum enim omnis Reſp. conſocietur ex impe-
proport. rantium & parentium ordinibus: & quilibet horum ordo per leges primas ejus Reip. & fundamentales, ſuas habeat libertates peculiares, jura atque privilegia; imprimis verò quum penes imperantium ordinem ſit ipſa ſumma poteſtas in populum reliquum: neceſſe eſt, ut æqualitas proportionata hîc utrinque ſervetur, ne ſumma poteſtas libertatem populi ſupprimat, ut jura ordinum integra maneant, ut illuſtres fami-

lia

liæ conſerventur: nec populus ſuâ libertate ita abutatur, ut ſumma poteſtas juſtâ malefactorum coërcitione defraudetur, aut alio quovis modo minuatur Majeſtas. Quò pertinet quod idem Tacitus de *M. G. c. XI.* ait: *Illud ex libertate vitium, quod non ſimul, nec juſſi conveniunt, ſed & alter, & tertius dies cunctatione coëuntium abſumitur.* Qua de re jam tum graviter queſti fuerunt veteres ſapientes, Nicolaus de Cuſa, Æneas Sylvius, Theodericus de Niem aliique. Sed & hinc fluit, quòd quum etiam ſacer ordo ſummam Reip. Majeſtatem minuere poſſit, atque in Imperio noſtro per Concordata & ereptas Inveſtituras minuerit, Libertas alia ſit ſacra, alia Civilis, atque utriusque defenſio ſummæ Poteſtati imprimis, ac denique & univerſo Populo incumbat. Jordan. Argentin. Chron. *c. 1. 2. ap. Gold. Monarch. T. 2. pag.* 1467.

§. VI. Altera libertas externos reſpicit Status, ne quis eorum ipſam minuat. Ex quo neceſſariò ſequitur ARMORUM ſtudium huc requiri, velut finem intermedium. Quo ſtudio Francos atque Germanos præcelluiſſe in confeſſo omnium eſt. Hinc quidam Remp. Germanorum MILITAREM appellant, quidam etiam FEUDALEM. *V. & Fr. à Sande Tr. prælim. ad Conſu. Feud. c. 3.* atque origo utique hinc feudorum orta. Ut enim ad militiam populus eò magis incitaretur, & ad defendendas patriæ terras obligaretur, ideò ſicut Alexander Severus, teſte Lampridio, *ſola quæ de hoſtibus capta ſunt limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ita eſſent, ſi heredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens: attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent*: quæ *prædia militaria* itemque *beneficia* appellata: ita Franci atque Germani Ducatus, Comitatus, ac Dominia jure feudi dederunt Ducibus, Comitibus, Dominis, qui porrò ſuis ſubvaſallis ſubfeuda dederunt, ut & illi & iſti una cum Rege ac ſupremo Domino in hoſtem irent. Ita Clodovæus Rex Francorum Milidunum caſtrum Aureliano cum totius Ducatu regionis jure beneficii conceſſit, teſte *Aimoino L. 1. c. 14.* & Gunthrannus Rex Mummolo Patricio Machovillam apud Arvernos, *Gregor. Turon. L. 4. c. 39.* itemque Pipinus Rex Taſſiloni Ducatum Bajoariorum, *Aimoin. L. 4. c. 64.* Atque Carolus M. in Kapit. an.

2. Militia Nobilitas.

an. 807. *c.* 1. ſancivit: *In primis quicunque beneficia habere videntur, omnes in hoſtem veniant.* Sed & in manſos proprietatis ſeu allodiales ſervitia militaria diſtributa fuerunt, ut ex cap. ſequente ejuſdem Kapitularis patet. Atque ex hoc fonte orta fuit partitio ordinum Imperii Germanici in clypeos militares, in *die Heerſchilde*, quorum primum tenet Rex aut Imperator, alterum Principes Eccleſiaſti, tertium Principes Seculares, quartum Comites, quintum Barones ac Domini territoriales, ſextum Nobiles, Milites, & Miniſteriales. Septimum denique vaſalli plebeji, de quibus Jus Feud. Alem. *c.* 1. & nos ibi plura. Hinc etiam ortum traxit ordo equeſtris Teutonicus, aliique qui ad tuendam libertatem ſacram atque religionem Chriſtianam cumprimiscontra infideles fuerunt adinventi, de quibus ſuo loco.

Heerſchilde

Probatur ex L. Fundam. primæva

§. VII. Ad hunc igitur ſcopum atque finem omnes leges fundamentales noſtri Imperii collimant atque collimare debent: Quarum princeps Pax Confluentana inter Reges Franciæ Orientalis & inter Status regni an. 860. ſancita, ita cap. X. fatur: *Ut noſtri Fideles unusquisque in ſuo ordine & ſtatu veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc inantea contra legem & juſtitiam vel auctoritatem ac juſtam rationem aut damnabimus aut debonorabimus aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus, ſed illorum, ſcilicet veraciter nobis Fideliū, COMMUNI CONSILIO* (in Comitiis) *ſecundum DEI voluntatem, & coñune Salvamentum, ad reſtitutionem S. DEI Eccleſiæ* (Germanicæ) *& Statum Regni* (Germanici) *& ad honorem Regium, atq; pacem populi coñiſſi nobis pertinenti, ASSENSUM PRÆBEBIMUS* (Reverſales hic & obligatio ad ſuffragia & conſenſum Statuum) *in hoc ut illi non ſolum non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes ad iſta ex ſequenda, verum etiam ſic ſint nobis fideles & obedientes & veri adjutores atque cooperatores vero conſilio & ſincero auxilio ad iſta peragenda, quæ præmiſimus, ſicut per rectum unusquisque in ſuo ordine & ſtatu ſuo Principi & ſuo Seniori eſſe debet.* ubi mutua obligatio Statuum ad obſequium & executionem contra contumaces & inobedientes. Atque ita vera æqualitas inter Principem & Status & vera Majeſtas Regia Libertasque populi conſervatur, conſervataque fuit per tot ſecula, quamvis non absque variis rerum diſcriminibus. Denique cum ſuperiori

noviſſima

riori

riori bello tricennali libertas & Eccleſiaſtica & civilis maximè omnium periclitari videretur, tandem Pax perpetua ita conſtituta fuit, ut *inter utriusque religionis Electores, Principes, Status omnes & ſingulos ſit ÆQUALITAS EXACTA MUTUAQUE, quatenus formæ Reipub. Conſtitutionibus Imperii & præſenti conventioni conformis eſt, ita ut quod uni parti juſtum eſt; alteri quoque ſit juſtum, violentiâ omni & viâ facti, ut aliàs, ita & hîc inter utramque partem perpetuò prohibitâ.* Inſtrum. Pac. Weſtph. Art. V. §. 1. *Ut autem proviſum ſit, ne poſthac in ſtatu politico controverſiæ ſuboriantur, omnes & ſinguli Electores, Principes & Status Imperii Rom. in antiquis ſuis juribus, prærogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis tam in Eccleſiaſticis quàm Politicis exercitio, ditionibus, regalibus, horumque omnium poſſeſſione, vigore hujus tranſactionis ita ſtabiliti firmatique ſunto, ut à nullo unquam ſub quocunq; prætextu de facto turbari poſſint vel debeant. Gaudeant ſine contradictione jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, præſertim ubi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hoſpitationes militum inſtituendæ, nova munimenta intra Statuum ditiones exſtruenda nomine publico, veteráve firmanda præſidiis: nec non ubi Pax aut fœdera facienda, ALIAQUE EJUSMODI NEGOTIA peragenda fuerint; nihil horum aut QUICQUAM SIMILE poſthac unquam fiat vel admittatur, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu. Cumprimis verò jus faciendi inter ſe & cum EXTERIS FOEDERA pro ſua cujusque conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuum liberum eſto: ita tamen, ne ejusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium pacemque ejus publicam, vel hanc imprimis tranſactionem, fiatque ſalvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt.* Inſtrum. Pac. Art. VIII. §. 1. 2.

§. VIII. Ex his denique judicari poterit, quæ inſtituta unius alteriusve partis juris noſtri publici prudentia admittat reprobetve, tanquam injuſta & Legibus fundamentalibus adverſa. Itaque quum Primas ordinis Eccleſiaſtici jure, prærogativis, atque privilegiis ſuis non contentus, ſummæ Reip. poteſtati partem primariam juris circa ſacra eripit, is certè & Majeſtatem ſummam violat, atque invadit contrà divina & humana jura: & Libertatem Statuum in ſacris ſup-

Conſectaria de contrariis fini & ſaluti publ. inſtitutis.

1.

pri-

primit, totiuſque Eccleſiæ Catholicæ & Conciliorum Uni-
verſalium: Dominatum ſacrum introducens, quo ipſo & ci-
vilis Libertas reliqua facillimè peſſumdari poteſt. Quo
pertinet, quod Guitmundus Card. & AEpiſc. Averſanus,
circa A. C. 1060. *lib. 3. de Corp. & Sangu. Chriſti verit. in Euchar.*
Lapidem in vaticinio Danielis perdentem quatuor Imperia
Vniverſalia, interpretatus de Eccleſia Romana; *Hoc ſanè* in-
quit, *de noſtra Eccleſia luce clarius videmus. Ipſa enim Romanum Im-
perium cum adhuc ferreum eſſet, & cætera regna contrivit. Ipſa
hodieque, quod nemo negare poteſt, in ipſa domo quondam Romani
Imperatoris, domum obtinet Salvatoris.* Sicut labente Rep. Judai-
ca Sacerdotium univerſam ſummam ejus poteſtatem ad ſe traxe-
rat. Quô vergit & iſtud inſtitutum ac perſuaſio, de duobus
capitibus in Imperio Germanorum, quorum unum ſacrum
atque Pontifex, alterum ſeculare atque velut Dux Generalis
natus, aut Imperator; quam fovet autor ſuprematus cap.
XXXII. Certè Papæ non competit jurisdictio in cauſis feu-
dalib. inter Reges & eorum vaſallos *Baluz. Vit. Pontif. Aven.*
2. *T. 2.* 645. 646. 649. 654. Si quis porrò Ordo inſtituta oli-
garchica foveat, is & majeſtati Imperiali, & libertati Statuum
reliquorum præjudicium intendit. Viciſſim ſi Majeſtas Im-
3. perialis inſtituta abſolutè Monarchica intendit, libertati Sta-
tuum vim inferet: quod in collegio Electorali in Electione
Caroli V. à Moguntino pluribus fuit remonſtratum. Con-
tra ſi alius Ordo inſtituta talia intenderet, ut libertas in li-
4. centiam vergeret, & auctoritates rerum judicatarum à ſum-
mis Imperii Tribunalibus contra contumaces executione de-
ſtituerentur, adeoque ne democratica quidem, ſed imò anar-
chica inſtituta foverentur, tunc pernicies atque interitus
5. totius Reip. ſine omni dubio immineret. Pariter ſi qui
unius vel alterius ordinis libertatem non ex ſeſe & ſua natu-
ra ſecundum leges fundamentales & jura Comitialia æſtima-
re amplius velint, ſed ex potentia atque viribus hujus vel
iſtius Domus, quem SVPREMATVM vocitant, ii pariter
oligarchica inſtituta introducere ſatagerent, & libertatem
conſtatuum ſuorum ſupprimere.

§. IX.

§. IX. Porrò quum Reſp. noſtra Germanorum jam inde à tempore ſaltem Caroli Craſſi Imp. præter Regni naturam etiam τὸ ἀξίωμα Imperii Romani uſque ad præſens tempus obtinuerit, hinc etiam finis Regni, quem hactenus expoſuimus, non idem omnino eſt, qui Imperii: quum ille ſit particularis ad Germaniam ſolam reſtrictus: hic verò univerſalis & Regni quoque Italici & Exarchatus Romani atque Longobardici itemque Gallico Belgici, imò totius Chriſtianitatis per occidentem conſervationem ſtatumque concernens. Unde & *Chriſtianum Imperium* vocatur *in A. B. proœm.* cujus fundamentum ſuper Chriſtianiſſimo regno feliciter ſtabilitum ſit. Atque hunc finem ſcopumque graviter inculcavit Elector Moguntinus in electione Caroli V. ad Collegas ita fatus: *Nulla difficilior deliberatio de ulla re humana incidere poteſt, quam de Imperatore eligendo. Nam cæteri Reges non ſuſtinent hoc ingens onus externa regna propugnandi. Noſter Imperator eligitur, ut ſit Dux publici conſilii inter omnes Reges: ut propugnet Italiam, ut tranquillitatem Eccleſiæ præcipuè cuſtodiat. Itaq; cum tantarum rerum cura Imperatori commiſſa ſit, non ut in cæteris Regnis, naſcuntur ſucceſſores, ſed graviſſimo conſilio conſtitutum eſt, ut judicio atque auctoritate noſtri collegii quæratur ſucceſſor qui molem poſſit tantarum rerum ſuſtinere.* Unde & mox Senatum Electoralem appellat *ſummum conſilium Orbis terrarum*, idque ſemel atque iterum. Et poſtea in promulgatione electi: *Conciliabit* (vobis Electores) *& benevolentiam noſtrorum Principum, qui vobis tantæ rei arbitrium ſolis commiſerunt, ut Dominum ipſis, ut cuſtodem publicæ ſalutis, ut Eccleſiæ Orbis terrarum propugnatorem eligeretis.* Et mox: *Et quoniam nos non tantum Germaniæ, ſed univerſo orbi terrarum conſulere debemus, vires comparandæ ſunt adverſus valentiſſimos hoſtes, non modò Germaniæ, ſed totius Chriſtiani nominis.* Ut igitur finis Regni Germanici eſt conſervatio ſtatus ac libertatis illius, ita finis Imperii Romano-Germanici eſt conſervatio ſtatus, tranquillitatis ac libertatis totius Imperii Occidentalis & Europæi, ductu atque auſpicio Imperatoris Germanici.

Finis alius Regni G. alius Imperii R. G.

§. X. Neque enim cum iis facimus, qui negant Romanum exiſtere Imperium in Regno Germanorum, imò ne laciniam quidem eſſe Romani Imperii. Quam in ſenten-

Imperium Romano-German. an detur?

 tiam

tiam prodiit diſquiſitio curioſa: *An Imperium Rom. Germanicum ſit quarta Monarchia à Daniele prædicta?* ac pro fundamento jecit autor opinionẽ Porphyrii Philoſophi Chriſtianis infeſti, quod ſcilicet quarta Monarchia à Daniele prædicta non ſit Romanorum, ſed Seleucidarum. Quæ opinio jam tum olim à Patribus Eccleſiæ exploſa fuit, ut & in Dialogo Ratisbonæ an. 1681. edito, de non ſperanda nova Monarchia. Præterea confundit iſte jus regni cum jure Imperii univerſali: & Regnum Italiæ ſive Lombardiæ cum Imperio Romano Occidentali. Deinde fovet hypotheſes non conceſſas & falſas, ut, quatuor Monarchias Danielis per nativitatem Chriſti fuiſſe ſublatas. Rectius Engelbertus Abbas Admontenſis in Auſtria qui an. 1310. floruit, in *lib. de Ortu & fine Rom. Imperii cap. XX.* illud quidem obſervavit, ſub nativitatem Salvatoris Romanorum Imperium ad ſuam ἀκμὴν perveniſſe, inde verò paulatim in deſcenſum inclinare cæpiſſe & eo usque adhuc vergere. Franc. Petrarcha Epiſt. VIII. & XIII. ſcribit: Imperium Romanum Romæ eſſe, non alibi, idemque manſurum, etſi Imperator turpiter Papæ in ſervitutem urbem relinquat. Jordanus Argen. Chron. cap. 1. *Sicut Chriſtus Dominus & magiſter omnium in ſemetipſo Romanum Imperium honoravit: ita B. Petrus, cui Dominus Eccleſiam ſuam regendam commiſit, honorari præcepit in Epiſtola ſua dicens: DEUM timete, Regem honorate. Utinam Germani, ad quos Mundi regnum eſt translatum, ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent. Utinam ſaperent juſtitiam, & DEum diligerent, & Regem quem eis DEus loco Juſtitiæ poſuit, reverenter intenderent, & ſicut DEI miniſtro honorem debitum exhiberent. Utinam exaltati per Romanum Imperium, & dilatati, magnitudinem bonorum in eos collatorum intelligerent, & non eſſent ingrati. Utinam Principes, præſertim hi, ad quos pertinet jus & juſtitia & poteſtas eligendi Regem Imperatorem primò, poſtmodum pericula quæ venient (ublato Romano Imperio, præviderent. — Utinam Germani, ad quos & in quos Imperiale Regnum translatum eſt, huius Regis, quem DEus poſuit in prodigium ſuper terram, præviderent & ſublationem ejus pertimerent.*

Gold. Monarchia, T. 2 p. 1460.

§. XI. Atque habemus confitentem S. P. Q. Romanum ipſum in epiſtola ad Conradum III. Imp. quam refert Otto Friſing *lib. 1. de Geſt. Frid. cap. XXVII.* Atque effatum Friderici I.

ci I. Imp. ad eundem: *Ad nos ſimul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nudum Imperium; virtute ſuâ amictum venit, ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt Conſules tui, penes nos eſt Senatus tuus, penes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi de conſilio regere, Equites Francorum ipſi tuam ferro injuriam propellere debebunt. — Principem tuum, militem meum feci, teque deinceps usque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum, eripiat quis, ſi poteſt, clavam de manu Herculis.* idem *lib.* 1. *cap.* 57. Hinc Quiritum nomen obtinuere Equites Franci & Germani, ut in Comm. ad J. Feud. Alem. *V. de Lib. Eccl. Germ. L.* 4. *c.* 7. §. 12. *ſq. Lib. V. c.* 1. *ſq.* Quanquam porrò Rudolphus I. & filius Albertus neſcio quo faſtidio imperium in urbem poſthabuere: exercuerunt tamen iterum Henricus VII. Ludovicus Bavarus, & quod Succeſſores iterum poſthabuere, Maximilianus I. & II. repetere tentarunt. Etſi verò dominium aliquod Vrbis Romæ ex liberalitate Imperatorum ad Pontificem Rom. ceſſit, ſum̃um tamen imperium in eam & quidquid Imperii Romani Occidentalis reliquum, atque in Carolum M. atque ſucceſſores translatum fuit, penes Impp. Francorum & Germanorum perduraſſe usque ad hunc diem, conſtat. Quod argumentum egregiè pertractat H. Conring. *de Finib. Imp. Lib.* 1. *c. X. L.* 2. *c. XIX. ſeqq.* Et nos in Commentariis de L. E. G. Notatu digna ejusdem Conringii verba cap. XXI. p. 451. *Illius ſumma poteſtatis perpetuò ſuperſtitem poſſeſſionem indicat quàm maximè præterea jus illud Regum noſtrorum Corona Rom. Imperii in ipſa urbe ſibi ſumendæ, idque itidem omni carens controverſia. Nec enim alicui fas fuerit coronam capere, niſi ubi eidem ſumma poteſtas competit. Etſi verò non omnes Cæſares noſtri patiantur Romæ ſe coronari, in omnium tamen arbitrio id fuiſſe poſitum & poſitum eſſe etiamnum, longè eſt certiſſimum.* Atque hoc Imperium eſt individuum, etſi interdum à duobus vel tribus conſortibus Imp. pro indiviſo poſſeſſum: quum contra Regna Francorum & Germanorum dividua ſint cum conſenſu Ordinum Procerumque.

§. XII. Enimverò ipſe Conringius *lib. de Germanorum Imperio Romano*, & *l.* 1. *de Fin. c.* 1. vulgarem & quaſi paſſim receptum errorem vocat, *Imperium Germanicum eſſe laciniam veteris Imperii Romani.* Sed quod pace piorum Manium dixerim, aſſen- *H. Conring.*

 ſum

ſum hactenus adhibere non potui, neque errorem crediderim, conſtantem & perpetuam ſententiam & Impp. & Doctorum de manu quaſi traditam? præſertim quum fundamenta negantium facilè labefactanda ſint. Nam quod primum attinet, nihil inde ſequitur:
1. Germania Magna, quæ hodie eſt ſedes Imperii Romani translati, non fuit ſub ditione Romanorum, igitur ad eam non potuit transferri Romanum Imperium. Eo enim majori jure tituloque illa gens, quæ nunquam fuit ſubdita Romanis, horum in ipſos Imperium potuit
2) optimâ fide capeſſere & ab ipſis recipere. Deinde, Pleraque ajunt, obtinuerat Carolus M. jam ante coronationem Romanam, igitur nihil præter nomen Auguſti & Imperatoris acquiſivit. Verùm ſi pleraque, ergo non omnia, ergo quædam tamen conſecratione Auguſtea obtinuit, quæ antea non habuerat. Atque reſpondit jam tum olim Lud. de Bebenburg Epiſc. Bamb. *lib. de Jur. Regn. & Imp. cap. IV.* quod duplex realis fuerit effectus translationis hujus, unus Exemptionis à Jure univerſali Imperii Orientalis, alter jus univerſale ad alia nondum acquiſita tunc loca ad Imperium Occidentale
3. pertinentia. Fatentur itaque tandem & acquiſitum tunc Dominium Vrbis Romæ & nonnullas Italiæ regiones, h. e. quicquid ad Exarchatum Imperatorum tunc adhuc pertinuit. Atqui non dominium urbis hîc tantùm verſatur, quippe quod penes Pontificem Rom. nunc eſſe, Conringius conceſſit, ſed ſumma poteſtas & nova Corona ab Vrbe atque Populo Romano translata ad Carolum, ſicuti ad Auguſtum, Tiberium, Hadrianum & alios veteres Impp. At verò hîc plus ſatis realitatis reconditum cernitur.

Conſectaria §. XIII. Tandem confundunt diſſentientes plures ac diverſas quæſtiones, quarum deciſionem ex affirmativa no-
1. ſtra & communi ſententia fluere putant. Quod non eſt. Alia enim quæſtio eſt, an omnes illæ provinciæ, quæ ad Imperium RomanoGermanicum pertinent, *jure illo quo olim Romana provincia unum in corpus convenerant*, etiam nunc contineantur? Hoc enim non ſequitur ex priori: neque ab exiſtentia rei ad modum argumentatio valet. Quum enim totus ſtatus & ratio adminiſtrandi Imperii alius ſit penes Francos & Ger-

Germanos, ſalvaque Statuum ac Ordidinum libertate in Comitiis, igitur & modus, quo Statuum Provinciæ poſſidentur, atque in unum corpus coëunt, alius eſt à veteri. Sed Trajanus, qui Principatum libertate miſcuit, propterea non deſiit eſſe Imperator Romanus. Itemque diverſa eſt quæſtio: 2.
An omnia illa, quæ à corpore Imperii Rom. ſeparata fuerunt, ſine diſcrimine habito, vindicari ab Imperio poſſint? neque enim hæc affirmari poteſt, neque fluit ex noſtra aſſertione. Unde porrò iſta concluſio nos nihil ferit, quod jura 3.
provinciarum Imperii Germanici, non ex illis exoletis veteris Imperii Romani rebus, ſed ex fontibus genuinis atque propriis ſint derivanda. Quam utique ambabus amplectimur: ſed ea pertinet ad modum adminiſtrandi imperii, non ad originem ac translationem ipſam realem.

§. XIV. Planè illud verum eſt, quod inter inſtituta & attentata Aulæ Romanæ utique referendum ſit, quod Imperator Romano Germanicus nihil præter titulum nudum haberet extra Germaniæ regnum, adeoque ut Imperium Romanum non quidem ſit extinctum, ſed revera & quoad effectum in ipſa ſede Romana quærendum. Satis hoc prodidit Innocentius Papa erga Carolum IV. de coronatione tractans. Mutius Chron. Germ. Lib. XXV. *Roma in paſchatos feſto magna ſolennitate, præſentibus Principibus omnibus, coronatus eſt cum ſua uxore, nec diu Romæ manſit poſt coronationem. Quoniam ſcribunt autores quidam, quod Pontifex ei noluerit imponere coronam, niſi juraret quamprimum velle excedere Roma, & ex tota Italia. Voluit enim Pontifex conſortis impatiens, ut titulo Imperatoris ſemper Auguſti contentus, rediret in ſuam Germaniam, ibique Rom. Imperator exerceret Imperium in Germanos, Romæ Imperium Papæ relinqueret, de qua extat epiſtola Franciſci Petrarchæ, quam Imperatoris Notario Nerio Forolivienſi ſcripſit.* Sed hæc talia inſtituta & molimina nullum jus pariunt autoribus ſuis, neque Statui publico & Legibus fundamentalibus præjudicare poſſunt: Præſertim quum nec ipſa Italia iſta laudaverit. Nam ſubjicit idem Hiſtoricus: *Nec æquo animo tum tulit Italia, quod Papa voluit tam cito Imperatorem abire: nam ſeditionum bellorumq́; cauſas omnes cupiebant ſublatas, quod non poterat fieri, niſi uno juſtè imperante.* Quæ igitur opinio non fundatur

Inſtitutum S. R.

datur in LL. fundamentalibus, imò iis adverſatur, & detrahit Majeſtati & Poteſtati Imperiali, eſtque contra intereſſe comune Reipublicæ, illa rejicienda eſt, & contraria ſententia approbanda. * Atque hanc communiter receptam veramque ſententiam eximiè quoque tuetur Jo. H. Bœclerus noſter in Diſſ. peculiari de S. R. Imperio. Expoſito itaque fine Jurisprudentiæ publicæ tum proprio Regni Germanici, tum communi atque univerſali Imperii Romano Germanici, conſequens eſt, ut de Objecto ejus diſpiciamus.

Objectum Regna & Imperium

§. XV. Cum uti ex ſuperioribus patet, RESPVBLICA GERMANORVM haud ſimplex ſit, alia Regna & Reſpublicas, ſed & REGNVM Germaniæ intra fines contineat, & IMPERIVM aliquod univerſum in alias quoque Occidentis partes; itaque duplex exinde ſe repræſentat Objectum, tum Regnum Germanicum, tum Imperium Romano Germanicum: Utriusque tum Materia conſideranda eſt, tum Forma atque Status. Atque *Regni* Germanici *Materiale*, h. e. fines atque quæ finibus continentur provinciæ, in exactiſſimis H. Conringii de Finibus Imperii libris, ſatis exponuntur præſertim quoad res. Sed quum Regnum noſtrum ſit ſocietas, & quælibet ſocietas conſtet & rebus & perſonis: nos ſequimur methodum communiter receptam, ut prius de Perſonis & earum jure, officio & actionibus dicamus, in libro altero, de Jure rerum. Idque ita, ut ſi quæ quoad Imperium Romano Germanicum peculiaria ſint, etiam annotentur. Quibus omnibus expoſitis, tandem ſequetur tractatio de forma Reip. Germanicæ, & quidem rurſus vel Regni vel Imperii, & utriusque tam Notitia veteris, tum hodierni delineatio.

Media, LL, & regulæ Juris

§. XVI. Objecto cognito, Media quoque penitranda ſunt, quibus finis in Objectum & actiones perſonarum publicarum introducatur. Media hæc ſunt ipſæ leges publicæ & regulæ juris publici, ſecundum quas & actiones civium ad ſalutem publicam ſunt dirigendæ, & directæ axaminandæ, an ritè & ad finem rectè obtinendum inſtitutæ fuerint.

de Jure perſ.

Quæ regulæ quum diſperſæ ſint per totam Jurisprudentiam & per ſingulos Juris noſtri publici titulos, itaque nunc de Jure Perſonarum diſpiciamus.

§. XVII.

§. XVII. Perſona eſt homo quatenus in ſtatu certo civili conſtitutus eſt. Sicut porrò omnes homines aut liberi ſunt, aut ſervi; ita libertas itemque ſervitus duplex eſt, alia publica, alia privata: illa libertas eſt univerſitatis, hæc ſingulorum; illa jus imperii continet, hæc jus dominii & ſui ipſius & rerum. Viciſſim ſervitus publica eſt, quâ univerſitas privatur Jure Imperii, ſalva libertate privatâ. quæ porrò privatio gradus admittit. Cum Julius Cæſar & Succeſſores jús imperii à S. P. Q. R. ad ſe transferrent, ſervitutis ſpeciem appellarunt Tullius & cæteri veteris libertatis defenſores, etſi Senatus Romanus utique jure Magiſtratus adhuc gauderet. Theodoricum Regem Gothorum, vulgò Veronenſem dictum, victo Odoacro, qui ſe Imperatorem Romanum vocârat, cuncta Italia *Dominum* dicebat, & illius ad nutum res illa publica obſecundabat, antequam Zenonis Imp. conſulto, privatum habitum, ſuæq; gentis veſtitû reponens, inſigne regii amictûs, quaſi jam Gothorum Romanorumque regnator, adſumſit, *Jornand. de reb. Getic. §.* 89. Is poſtea Anaſtaſio Imp. fœdus offerens, agnoſcit ipſum totius Orbis ſalutare præſidium, quod cæteri dominantes jure ſuſpiciant, quaſi in ipſo ſingulare aliquid ineſſe cognoſcant: duas tamen Reſp. aſſerit, ſuam, Romano-Gothicam, (quam Caſſiodorus ad Joannem Papam, ſimpliciter Romanam Remp. appellat, *XI. Var.* 2.) & Conſtantinopolitanam, quarum ſub antiquis Principibus ſemper unum corpus fuiſſe dicit, nunc verò nihil diſcordiæ inter utrasque Reſp. permanere debere. *Caſſiod.* 1. *Var.* 1. Is Senatum Rom. diligebat, Leges Romanas amplectebatur, Leges patrias inculcabat, *XI. Var. IIX.* Edictum tamen ex jure partim Rom. partim novo publicabat.

Perſona quid & quotupl. Libertas & ſervitus publica.

Earum grad. 1.

§. XVIII. Contra Romani victis Samnitibus aliisque civitatem aliquam & multitudinem relinquebant, ſed jure magiſtratus privabant, quales multitudines non civitates, ſed magnas familias dixeris cum H. Grotio *de J. B.* 3: 8, 2. 2.
Aliis porrò reliquerunt circa res minores ſuas leges & magiſtratus, cæteris ad Præſidem datum devolutis: aliis jus plenius ſuo arbitrio Remp. adminiſtrandi, *Grot. d. B.* 3:15, 10. 3.
Denique victis & civitas ita demi poteſt, ut ſinguli in ſervitu- 4.

tem

tem redigantur, rigore juris gentium, de quo idem *lib. 3. c. 7. ſq.* Quod Hebræis in Ægypto, & poſtea Gibeonitis Hebræorum jure, & rurſus in captivitate Babylonica, *Eſr. IX. 8. 9. Nehem. V. 8. IX. 36.* atque jure noſtro ipſis denuo Hebræis ſeu Judæis contigit.

Judæorum ſtatus ſub Impp. Rom.

§. XIX. Qui etſi jure Romano Impp. Chriſtianorum habuerunt ſuos Patriarchas, Primates, Synedria, privilegia, & jus coercendi, de quo ſtatu vid. *J. Gothofr. in tit. C. Th. de Judæis.* Sicuti etjam antea laudatus Theodoricus Rex univerſis Judæis Genuæ conſtitutis privilegia ab Impp. Rom. conceſſa confirmavit, *Caſſiod. 4. Var. 33.* itemque Judæis Mediolanenſibus, *Idem. V. 37.* Quorum exemplo & Rupertus Imp. conceſſit Judæis Magiſtrum aliquem ſupremum, *einen Hochmeiſter,* Iſraëlem nomine, *Zu heiſchen, zu ſtraffen, zu bannen nach Jüdiſchem Recht,* Norimbergæ 3. Maij 1407. idemque privilegium dedit eodem anno Jſaaci matri, viduæ & liberis Judæis, *daß ſie vor Meiſter Jſrahel unſerm Kammer-knecht nach Jüdiſchen Rechten Zu Recht ſtehen und ſuſt für keinem andern Jüdiſchen Meiſter gefordert noch geheiſchen vverden ſollet, biß auf unſer vviederruffen.* Sed & antea jam priori anno permiſerat Judæis ut adverſarios Judæos accuſarent *für ihrem Hochmeiſter, und ſie auch darumb zu Banne zu bringen, ob er das an ſinen Jüdiſchen Meiſter haben mag: Und ob er ſie alſo zu Banne bringen vvürdet, ſo vvollen vvir ſie uß dem Banne nit laſſen noch den Jüdiſchen Meiſter die ſie zu Banne thun vverden, gebieten, ſie daraus Zu laſſen one des N. vviſſen und vvillen. Wers auch das die Jüdiſchen Meiſter der Rechten in den ſachen nit helffen vvollten, das ſol er vvider an uns bringen, ſo vvollen vvir ihm ſelber helffen.* Sic & per conſtitutionem Arcadii & Honorii Archiſynagogi arbitri controverſiarum inter Judæos eſſe poſſunt, ſed ſecundum jus commune, *l. 8. & l. 1. utroque Cod. de Judæis.* Imò Severus & Antoninus Impp. honores & munera publica adipiſci permiſerunt, teſte Ulpiano *l. 3. §. 3. de Decur. V. & l. 15. § 6. π. de excuſ. Sam. Petit. Diatrib. de Jure Princip. Edict. cap. 6. Exerc. ad π. 37. 15. ſqq.*

§. XX. Sed Theodoſius junior *Novell. III.* & *l. fi. C. de Jud.* omnes dignitates Judæis iterum abrogavit. Quod jure WiſiGothorum, Francorum & Germanorum adeò obſervatum, ut nec ſub ordine villicorum Chriſtianam familiam regere aude-

auderent, *Concil. Tolet.* 12. *c.* 9. *Lex Wiſigoth. Lib.* 12. *t.* 3. 17. *Kapitul. Francor. lib. VI. c.* 122. *Addit. III. c.* 90. *Jus Sax. Prov. Lib.* 3. *Art. VII.* Atque ſervi Cameræ Imperialis dicuntur, *des Reichs Cammer-Knechte, des Römiſchen Königs Cammer zu eigen gegeben*, *J. Alem. Prov. c. LXXVI.* Frid. III. Imp. in diplomate an. 1470. *die gemeine Judiſcheit uns als Röm. Keyſer, von des Heil. Reichs vvegen ohne mittel allein und niemands anders, untervvorffen ſey und Zugehören.* Primus illud edidit nuper CL. Wagenſeil. *Epiſt. ad Dn. Fecht. pag.* 103. Id quod & aliis in regnis obtinet. Eduardus Rex Angliæ an. 1048. conſtituit: *Omnes Judai ubicunque in regno ſunt, ſub tutela & defenſione Regis ligea* (i. ſola) *debent eſſe, nec quilibet eorum alicui diviti ſe poteſt ſubdere ſine Regis licentia. Judai enim & omnia ſua Regis ſunt. Quodſi quispiam tenuerit eos, vel pecuniam eorum, perquirat Rex ſi vult, tanquam ſuum proprium.* Hinc *Jus habendorum Judaeorum*, ex conceſſione demum ſpeciali, tanquam *Regale*, Statibus communicatum fuit ab Impp. *ap. Lambec. Biblioth. Lib.* 2. Vid. Canones Concilii Vienn. an. 1267.

§. XXI. Franci victos Alemannos & Boiarios etſi ab initio ſub Clodovæo duriuſculè habuerunt: *V. B. Rhenan. L.* 2. *Rer. Germ. c.* 1. *&* 2. reddiderunt tamen libertatem publicam quoque jamtum ante Carolum M. Demonſtrari hoc non difficulter poteſt ex Inſcriptione Legis Alemannorum ab Heroldo & Lindenbrogio editæ: *Incipit Lex Alemannorum qua temporibus Hlodharii Regis, unà cum Principibus ſuis, quorum fuerunt Epiſcopi XXXIII. Duces XXXIIII. & Comites LXXII. cum catero populo conſtituta eſt.* Et in fine. *Hoc decretum eſt apud Regem & Principes ejus, & apud cunctum populum Chriſtianum, qui infra Regnum Mervvungorum conſiſtunt.* Hic Hlotarius natus A. C. 588. pater Dagoberti, nactus totam Monarchiam Franciæ an. 616. Illuſtrat rem magis Prologus Legis Baivvariorum: *Theodoricus Rex Francorum cum eſſet Catalaunis, elegit viros Sapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant. Ipſo autem dictante juſſit conſcribere Legem Francorum & Alemannorum, & Baiuvvariorum unicuique genti, qua in ejus poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem ſuam. Addidit qua addenda erant, & improviſa & incompoſita reſecavit, & qua erant ſecundum conſuetudinem paganorum, mutavit ſecundum Legem Chriſtianorum. Et quidquid Theodoricus Rex propter vetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem*

emendare non potuit, poſthac Childebertus Rex inchoavit, ſed Chlotharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſ. per viros illuſtres Claudium, Chadum, Indomagum & Agilulphum renovavit & omnia vetera legum in melius transtulit, & unicuique genti ſcripta tradidit, quæ usque hodie perſeverant. Succeſſit patri Chlothario Dagobertus An. 631. Ex his patet, pariter ut Francis Lex Salica, ita Alemannis & Baiuvariis, ut & Ripuariis cuique ſuam Legem fuiſſe reviſam & confirmatam à Regibus Francorum, idque maximum libertatis publicæ & ἀυτονομίας relictæ argumentum eſt.

§. XXII. Carolus M. in Saxones devictos atque religionem Chriſtianam primum amplexos non fuit durior, ſed reliquit iis & libertatem & civitatem, quanquam ſponſione eos baptiſatos obligavit, ut in eum eventum, ſi fidem fefellerint, omni jure privati eſſe deberent. Etſi porrò multi rebelles facti, iique aut capite puniti aut deportatione, nec tamen omnes aut rebellarunt, aut libertate privati, ſed multi ſolo exilio, aut ut colonias ducerent. At fideles & qui reconciliati in fide perſtiterunt, manſerunt in jure ſuo priſtino, excepto ſolo imperio. Atque cum de libertate Saxonum diſputatio eſt, non de rebellibus quæritur & expulſis, ſed de univerſitate reliquâ in fide aut perſiſtente tum, aut recepta iterum, multò minùs de horum Laſſis aut Litis h. e. libertis vel hominibus propriis. Retinuerunt itaque Saxones & privatam libertatem & publicam, ita ut Francis fuerint adæquati, teſte Eginhardo. Uſi porrò ſuâ ἀυτονομίᾳ & ſuis Legibus à Carolo M. confirmatis. Et exercuerunt Comites ſinguli in pagis ſuis judicia & conventus: Placita generalia ſive Provincialia illo tempore nondum per Ducem aliquem Saxoniæ, ſed per Miſſum Regis, & imprimis per Comitem Trautmannum à Rege exercita, Vid. Capitulare Caroli M. de Partibus Saxoniæ §. fi. In Comitiis Regni univerſalibus jus ſuffragii & ſeſſionis habuerunt, ut conſtat ex Ejusdem Kapitulari de an. 797. quod in Comitiis Aquisgranenſibus factum convenientibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & Saxonibus de diverſis Pagis tam de Weſtfalahis & Angrariis, quàm de Ooſtfalahis, atque de his in §. 2. ibi dicitur: *Omnes unanimiter conſen-*

ſenſerunt & aptificaverunt &c. Atque notabile eſt, quod ejuſdem Kapitularis cap. IX. dicitur: ſi Rex voluerit legem de banno mutare, ut fieret cum conſenſu Francorum & fidelium Saxonum.

§. XXIII. P. Heigius *P. 1. Qu. 8.* & Gryphiander *de Weichbild. Sax. c. XXIV.* hæc non ſatis aſſecuti fuerunt, ut & iſtud perperam aſſeruere, aliosque ſeduxere, quaſi Saxonibus Teſtamenti factio in pœnam fuiſſet adempta. Namque jamtum vetus Euua ſive Lex Saxonum ante Caroli M. reunionem Francorum atque Saxonum, ſanciverat de Succeſſione Cap. XIV. *Nulli liceat traditionem hæreditatis ſuæ facere præter ad Eccleſiam vel Regi: nec heredem ſuum exheredem faciat* &c. ubi quidem quæ de Eccleſia & Rege dicuntur, ſine dubio à Carolo M. demum fuerunt addita, cætera verò antiqua ſunt, & non Saxonibus propria, ſed communia Germanis, de quibus Tacitus de *M. G. c. XX. & XXXII.* heredes ſucceſſoresque ſui cuique liberi: & nullum teſtamentum: itaque nec in Lege Alemannorum aliquid de teſtamenti factione. Neque in Scotorum Legibus de Imobilibus teſtari permiſſum, *Lib. 2. c. 18. & 38.* ſic & veteres Gothi ignorarunt teſtamentariam Succeſſionem, Loccen. *Syn. Jur. Diſſ. VIII. 7. ſq.* Quare quod Saxones non habuerunt, aut pro jure agnoſcere noluerunt, illud Carolus eis nullo effectu potuit adimere. Quod verò Aimoinus *lib. V. de Geſt. Francor. c. X.* ait: *Saxones atque Friſios jus paternæ hereditatis ob perfidiam ſuam legaliter perdidiſſe*, id primò non de univerſis, ſed de rebellibus & contumacibus intelligitur, non de iis, qui ſub imperio Caroli M. Rempublicam Saxonicam conſtituerunt: deinde non de teſtamènti factione & teſtamentaria ſucceſſione loquitur, ſed de ſucceſſione legitima & generatim, cujus quippe rei criminis perduellionis incapaces redditi. Seduxit verò Heigium & Spangenbergium auctor anonymus vitæ Ludovici Pii Imp. referens, Eum Saxonibus teſtamenti faciendi jus reſtituiſſe. Quod etſi verum ſit, quod rebelles Saxones ùt inteſtabiles condemnati, deinde ab Imp. reſtituti, teſtabiles redditi fuerint, atque adeò teſtamenti factionem æquè ac Franci ex conceſſione Imperatoris habuerint, conſtat tamen ſatis eo jure Saxones non fuiſſe uſos.

II. div. perſon. §. XXIV. Altera perſonarum diviſio oritur ex altera Statûs diviſione, qui vel privatus ſive domeſticus eſt, aut publicus, inde alia eſt *Perſona privata*, alia *Perſona publica*, quæ in officio publico munus ſuſtinet. Hæc porrò vel una eſt, vel plures conjunctim unam repræſentantes, quæ vocatur *perſona myſtica*, quales ſunt collegia, communitates & civitates.

§. XXV. Tertia perſonarum diviſio arceſſitur ex diverſitate Status, quod alius ſit cum *dignitate*, alius ſine ea. Dignitas eſt vel ſimplex, vel cum Poteſtate publica conjuncta. Jure Romanorum tres ſunt ſpecies dignitatis, Senatoria, Equeſtris & Perfectiſſimatus. Senatoria iterum triplex: Illuſtriſſimatus, Spectabilitas & Clariſſimatus. Quæ tamen res varias mutationes apud Romanos habuit. Vid. Notitia Imperii, Pancirolli. - Codicis utriusque tot. titulus generatim de dignitatibus, tum ſpeciales. *In Cod. Th. in ſpecie lib. 1. qui à præbitione tyron. XI. 18. & l. 52. de hæretic. utrobique J. Gothofr.* Moribus Germanorum tria ſunt hominum liberorum genera, Nobilium, Ingenuorum & Libertorum ſive Hominum propriorum, Vid. Tacit. *de Mor. Germ. c. XXV.* Jul. Cæſar *lib. VI. de Bell. Gall.* de Celtis atque Gallis ait: *Alterum genus eſt, Equitum; ii, cum eſt uſus atque aliquod bellum incidit, omnes in bello verſantur, atque eorum ut quisque eſt genere copiisque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe ambactos clientesq; habet. Jus Sax. Prov. L. 1. A. 2. Jus Aleman. Feud. cap. 1. ubi Comm. meum.*

§. XXVI. Nobilitatis nomen omnes dignitates continet, quarum ſeptem in Germania conſtitutæ fuerunt, *Clypeorum militarium, der Heerſchilde*, nomine venientes, quia inſignia nobilitatis ſuæ clypeis illis depingi ſolita. Primâ cenſetur Imperator & Rex Romanorum. Altera Epiſcopi & Abbates. Tertiâ Principes Seculares: Quartâ Comites & Liberi Domini, *Semperfreyen* i. *Sendbarfreyen*, qui jus placiti publici ſive Comitiorum, habent. Quintâ Nobiles Domini, Banniti. Sextâ Nobiles inferiores. Septimâ qui ex plebejo genere ad nobilitatem evecti, novi homines, aut & qui ex Nobilium ordine fundos cenſiticos poſſident. *Jus Sax. & Alem. d. l.* conf. *Gl. Jur. Sax. Prov. L. 2. Art. 59. Jus Feud. Longob. 2. F. 10. §. Cæteri.*

§. XXVII.

§. XXVII. Sequiori tempore Nobilitas in duas ſpecies diviſa fuit, in Superiorem & Inferiorem, *Hohe und Nieder Adel*, ad priorem referuntur Principes, Comites, Barones, Illuſtrium perſonarum titulo gaudentes, *Herrenſtands Perſonen*, ad poſteriorem, Nobiles reliqui. Vid. Cent. Gravam. Nation. Germ. an. 1522. in Comitiis Noricis exhibita, §. XXV. Quæ diviſio in Capitulatione Leopoldina ita declaratur §. XL. ubi de conſtituendis miniſtris Aulicis conventum: *Mit keiner andern Nation dann gebohrnen Teutſchen, die nubt Niedern Standes noch Weſens, ſondern nahmhaffte hohe perſonen, und mehrern theils von Reichs-Fürſten, Grafen, Herren, und von Adelichem, oder ſonſten tapfferen Herkommens, beſetzen*, quæ poſtrema ſpecies ad ſeptimum clypeum relata quondam: Inter quam tamen & priores Nobilitatis ſpecies mox iſta differentia ibidem habetur; ut hæ dicantur *Zu Schild und Helm, Ritter- und Stifft-mäſſig gebohren*. §. 40. nihilominus tamen etiam altera ſpecies iſtius juris capax eſſe poteſt, per Inſtrum. Pac. Art. V. §. 17. ibi: *operaque detur, ne Nobiles, Patricii gradibusque Academicis inſigniti, aliaque perſona idonea, ubi id fundationibus non adverſatur, excludantur, ſed ut potius in iis conſerventur.*

§. XXVIII. Porrò Nobilitas alia eſt Nova ſive noviter acquiſita, alia Vetus atque transmiſſa. Nova aut acquiritur à ſumma cujusque Reip. Poteſtate: adeoque in Imperio Germanorum ab Imperatore, aut Rege Romanorum, & vacante Imperio à Vicariis quoque, itemque ab iis Statibus, qui ex ſpeciali conceſſione id obtinuerunt. Confertur hæc ob bene merita & virtutem vel belli vel pacis temporibus, publicæ rei commodatam. Aut communicatur jure connubii, itemque adoptionis Romanorum. *Fœminis enim*, ait Ulpianus *l.* 8. de Senator. *dignitatem clariſſimam mariti tribuunt.* Et Paulus: *Senatoris filius eſt & is, quem in adoptionem accepit: quam diu tamen in familia ejus manet. l. 6. eod.* Tranſmiſſa eſt vel ex utroque parente, vel ex alterutro. Prior iterum vel ſimplex eſt, quæ ultrà non adſcendit, vel Torneamentaria aut Scabinalis dicitur, h. e. quæ quatuor progenitores ejusdem dignitatis recenſere poteſt, *Seine vier Ahnen benennen.* Conſtit. Henrici I. de Haſtiludiis. *J. Sax. Prov. Lib. 3. Art. 29.* Poſterior, quia nobilitas matri jure connubii communicatur, etiam valet, ſi pater eſt

nobilis: ſecùs ſi mater nobilis ignobili nubit, *L.10. ff. de Senat. Conſ. inf. tit. de Nupt. §.V.*

§. XXIX. Privilegia & prærogativæ Illuſtrium & Nobilium perſonarum vel circa jus perſonarum vel circa rerum verſatur, de quibus ſingulis ſuo loco & ordine. Alioquin ea deſcripſit Nolden. de Jure Nobilit. conf. Meneſtrerii. §. 1. de Equeſtri dignitate veteri & nova, itemque de diverſis Nobilitatis generibus. Ant. Matthæi de Nobilitate.

§. XXX. Amittitur Nobilitas vel voluntariè, vel invitò: voluntate vel expreſſa vel tacita. Expreſſæ exempla in Rep. Romana plura habentur, quoties ob paupertatem, veniam aut jus exeundi ordinis ſpontè peterent, ut de Propertio Celeri Tacitus Ann. *I.* 75. 3. *conf. XI.* 25. 4. *XII.* 52. 4. Tacite amittitur alio atque ignobili vitæ genere electo: Neutro tamen modo præjudicatur liberis antea natis, vel etiam conceptis duntaxat. Natus, inquit Ulpianus *l.* 7. §. 2. *de Senator.* poſt patris amiſſam dignitatem, magis eſt, ut quaſi Senatoris filius intelligatur; tempus enim conceptionis ſpectandum plerisque placuit. Huc etiam pertinet ſi fœmina nobilis nubit ignobili. Idem Ulpianus: Clariſſimarum fœminarum nomine Senatorum filiæ (puta nuptæ) niſi quæ viros clariſſimos ſortitæ ſunt, non habentur *l.* 8. *eod. Et l. fin. eod.* ait. *Nuptæ prius conſulari Viro impetrare ſolent à Principe, quamvis perrarò, ut nupta iterùm minoris dignitatis viro, nihilominus in conſulari maneant dignitate; ut ſcio Antoninum Aug. Juliæ Mammææ conſobrinæ ſuæ indulſiſſe.* Quod hodie reregulariter obtinet, vid. Myler. Gamolog. *c. V.* §. 2. Rupertus Imp. reſtituit Annam Uxorem Stephani de Gundelfingen, filiam *Hans Truchſeſſen* de Walpurg Equitis, in Statum *einer Freyinne, vveil ſie von ſolchen Freylichen Stamme die von iren vier Ahnen Greſinne gevveſt ſin, herkommen*, & ejus liberos, non item maritum. An. 1408. Denique invitò amittitur Nobilitas ob crimen & in pœnam, degradatione & ex laterculo Nobilitatis deletione, aut infamia.

§. XXXI. Ingenui Nobilibus contradiſtincti Plebeji vocantur. Plebis vox aliquando Patriciis ſolis & Senatoriæ dignitatis viris opponitur, ut ordinem etiam Equeſtrem contineat. Ita Gajus *L. plebs.* 231. *de V. S.* Juſtinianus §. 4. *J. de*

J. N.

J. N. G. & C. & Attejus Capito *ap. Gell. L. X. c. XX.* Plebem accipiunt de omni civium parte, in qua Gentes patriciæ non inſunt; non inerant autem Equites. Hinc Virgilius *l. 2. Georg.*

> *Hic ſtupet attonitus roſtris, hunc plauſus hiantem*
> *Per cuneos, geminatur enim, plebisque Patrumque*
> *Corripuit.*

Atque id eſt, quod C. Tacitus de *M. G. c. XII.* Principis Comites ſive Scabinos ex Plebe electos ſcribit: *Eliguntur in iisdem Conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt: centeni ſingulis ex plebe comites.* Erant autem ex Ordine Equeſtri, *Conſtitutio Lotharii I. Imp.* Jus Saxon. Prov. *lib. 3. A. 29. & 54.* Municip. *cap. 35.* J. Alem. Prov. *c. 122.* Sed quemadmodum Valentiniani Imp. cumprimis conſtitutione, medius Ordo inter Senatum & Plebem conſtitutus, *L. un. C. de Equeſtr. dignit.* ita in hac poſteriori ſignificatione hodieque Plebejos vocamus.

§. XXXII. Dicti etiam Ingenui itemq; Liberi κατ᾽ ἐξοχὴν & Frilingi. C. Tacitus de *M. G. XXV. fi.* de Servis Germanorum in gentibus, quæ regnantur, ait: *ibi & ſuper ingenuos & ſuper nobiles adſcendunt.* Nithardus *l. IV.* Hiſtoriæ Francorum: *Gens Saxonum omnis in tribus Ordinibus diviſa conſiſtit: ſunt enim inter illos Eddelingi; ſunt qui Frilingi, ſunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur; Latina verò lingua hoc ſunt Nobiles, Ingenui & ſerviles.* Adamus Bremenſis: Quatuor differentiis gens illa conſiſtit. *Nobilium ſc. & liberorum & Libertorum atque ſervorum.* Ingenui quoque ſimpliciter dicti Francis, Nobilibus & ſervis oppoſiti. Gregorius Turonenſ. *de Miraculis S. Martini cap. XXIII. Erant,* inquit, *Ingenui & poſſeſſionem propriam poſſident.* Hæ poſſeſſiones dictæ *Ingenuiles manſi*, oppoſiti ſervilibus. Saxonico jure horum ſpecies ſunt *Proprietarii*, à propriis poſſeſſionibus ibidem dicti, *Pfleghaſſten*, eſt enim *pflege* propria poſſeſſio, manſus, *Gl. lib. 3. J. Sax. art. 79.* altera Plebejorum ſpecies dicta Landſeſſii, qui non propria bona poſſidebant, ſed locata, *Laſſgut, lib. 1. a. 2. lib. 3. A. 45.* quos Alemanni Colonos vocarunt, *L. Alemann. cap. IX.* quicunque liberum Eccleſiæ, quem colonum vocant, occiderit, ſicut alii Alemanni ita componatur.

§. XXXIII. Burgenſes hodie dividuntur in duos Ordines, *Bürger* & *Bauerſtand*, Nam & Ruſticani ad Rhenum vocantur

tur *Bürger*. Burgenſes, Burgarii etiam, *Burghvvarn* dicti, quod Burga & caſtra ſive oppida & urbes incolerent, unde & *Caſtellani* dicti. *Hi*, inquit, H. Speelmannus in Gloſſario, *dum cauponandis mercibus, & rei mechanicæ operam navarent, generoſæ turbæ, militiam omninò admiranti, deſpectui erant; adeò ut cum illis nec commercia jungerent, nec Martis aleam experirentur*. de horum privilegiis inter LL. Scotorum extant *Leges & conſuetudines Burgorum editæ per D. David Regem Scotiæ ejus nominis primum*: item *Statuta Gildæ per diſpoſitionem Burgenſium conſtituta*. Horum quidam ſunt cives liberi *Freyburger*, *Freyzügig*, *die freyen Zug haben*, qui jus emigrandi habent, etſi de bonis aliquam partem relinquere teneantur, *Abzuggeld*. Jure Longobardorum per conſtitutionem Rotharis R. qualiter cum fara ſua (*fahr und habe*) alicubi migrare permiſſum ſit, *Lib. 3. Tit. XIV.* ita ſancitum: *Si quis liber homo migrare voluerit aliquò, poteſtatem habeat intra dominium Regni noſtri cum fara ſua migrare quò voluerit: ſic tamen, ſi jam à Rege ei data fuerit licentia. Et ſi ei aliquas res Dux aut quicunque liber homo donaverit, & cum eo noluerit permanere, vel cum herede ipſius, res ad donatorem vel heredem ejus revertatur*. Rupert. Imp. in confirmatione privilegiorum civitatis Suinfurtenſis an. 1401 Dom. Invoc. *Darzu ſetzen vvir auch das — unſere Burger, dem H. Röm. Riche zu eren, und der Stad Zu nutz mogen innemen und empfahen zu Burgern und Burgerin, es ſin Pfaffen oder Leyen, Frauvven oder Mann, mit gedingen von jaren zu jaren uff ziele und züt als die dann mit in überein vverden und das ſie by jn ſicher vvonen und ſitzen mit jrem libe und gute, Und vvir unſer Vogte und Amptlute doſelbſt ſollen dieſelben die dann alſo zu jn ziehen und by jn vvonen vvorden, jre libe und gute mit den obgen. burgern Zu dem rechten ſchuren und ſchirmen am leben, und nach irem tode, das jn darvvider deheinerley Infalle irreſal oder hinderniſs von uns unſern Vogten und Amptluten geſchehen ſal. Wenn auch dieſelben die dann mit gedinge alſo by jn ſeſſen, von jn ziehen vvollen mit allen irem guten und habe, do ſollen ſie und ire Erben von uns und unſern Vogten und Amptluten ungehindert und unbeſvveret bliben und ſin, doch alſo das von denſelben die alſo von jn ziehen vvolten, der Stat für ire genüge umb ire gedinge getan vverde.*

§. XXXIV. Dividuntur quoque Cives in veros & quaſi cives qui etiam *Usburger*, extranei cives, & *Pfalburger* dicuntur,

tur, qui vel ſimpliciter & jure recepti, vel ad diem & certum tempus, veluti decennium, pro certa præſtatione pecuniæ vel equorum &c. Sunt & alii cives ordinis civitatenſis, medii inter Nobiles & ruſticos, alii ſunt cives quidem, ſed retinent ſuum ordinem & clypeum ſuperiorem, h. e. jus acquirunt, ſalvâ Nobilitate omnimoda, quò pertinet, arbitror, conceſſio ſequens Ruperti Imp.

*WIr Ruprecht &c. Bekennen &c. daß vvir haben angeſehen ſolich geneme Dienſte und Truvve, als die Edeln unſere Lieben neuen und getruvven Otto und Gerhart Wildegraven zu Kirberg uns und dem Riche offt und dick unverdroſſenlichen und vvilliclichen getan haben, und auch furbas tun ſollen und mogen in künfftigen zyten, und haben yne darumb mit vvolbedachten mute, guten Rate, unſere und des Richs Fürſten und Getruvven die beſonder Gnade getan und tun yn die auch in craffi diß bre † von E. Künigl. mechte vollkommenheit, das ſie und ire Erben In und zu dem Sloſſe Wyldenburg in dem tale und begriffe darunter fürbaz evviclichen allerley Lute ſie ſin Edel oder nit, Burger oder Gebure von vvann die komen oder vvo die geſeſſen vveren die da hebelich ſeßhaffiig und vvonhaffiig Zu Wyldenburg ſitzen und huſelich daſelbs vvonen vvollen, Zu Burgern doſelbs Zu Wildenburg offnemen empfahen und behalten mogent, und ſollent darumb von allermenniglich ane alle anſprache unbekomert und ungehindert verbliben, Auch tun vvir yn die beſondere Gnade in craft dieß bre das ſie und ire Erben in dem obgen: Tale und begriffe Zu Wildenburg aller menglichen ſie ſin Fürſten Herrn Ritter oder Knechte Burger oder Gebure dar tune zu komen und daſelbs zu vvonen, und auch vvieder von In zu riten oder zu faren ob ſie vvollen, friede und geleite geben mogen, von aller menglich ungehindert, Und gebieten darumb allen yglichen Fürſten geiſtlichen und vveltlichen Graven Fryen Herrn dien * unten Rittern Knechten Gemeinſcheffien der Steide und ſuſt allen andern unſern und des Richs Untertanen und getruvven feſticlich und ernſtlichen yn crafft diß bre das ſie die obgen: Otten und Gerhart Wildgraven und ire Erben an den egenante unſern gnaden und fryheiden nit hindern noch hindern in dehein vvyſe ſonder ſi daby geruglichen verbliben laſſen ungehindert, und auch von unſern und des Richs vvegen hanthaben ſchutzen und ſchirmen als lieb yn ſy unſer und des Richs ſvvere ungnade Zu vermyden, und auch ein Pene 50. marck lotiges goldes die ein yglicher als offte er das uberfure verfallen ſin ſal die halbe in unſer Königl. Camere und das*

† Brev.

* dienern

D

ander

ander halbe teile den obgen: Otten und G. Wildgr. und iren Erben ane mynnerniſſe gefallen ſal. mit orkunde dieß briefs verſiegelt mit unſer Kunigl. majeſtet Ingeſigel. datum Treveris ipſa die beate Afre anno Domini M. CCCC. tertio Regni vero noſtri anno tertio.

ad mand. Dn. Regis
Joh. Wynheim.

§. XXXV. In ſimili conceſſio ab eodem facta civitati Suinfurtenſi an. 1401. Domin. Invocavit. quæ ſupra exhibita ad finem §. 3.
Aliàs obſervata tùm fuit A. B. Caroli IV. juxta quam conceſſionem de novo impetravit Nordlinga à Ruperto Imp.
Das jr von nuvvens jeglichen der nyemants unverrechneter Amptman ſy, oder keinen nachfolgenden kriege habe, zu Burgern empfaen mogent, alſo das der der unſer Burger vvirdet zu Nordlingen Invvonen ſal und ſture dienſte und alle andere ſach tun als andere ingeſeſſen Burger, und vvollen das uch nyemand daran hindern ſolle in deheine vviſe. Orkunde — Heydelb. ♃ *poſt Nativ. Mariæ* 1405.
Similiter cum civitati Palatinatûs Rockenhuſen idem Rupertus jus recipiendi cives cujuslibet generis daret, addidit: *doch usgenommen ſoliche lute die nachfolgende kriege hetden oder eins Herren unverrechnet Amptlute vveren. an.* 1407. Et tales cives etiam Argentoratum admittit. Non obſtantibus ſcilicet LL. torneamentariis aliisve conſuetudinibus ſimilibus. Cives porrò alii ſunt, qui privilegiis civitatis gaudent, alii qui tantùm in tutelam & jurisdictionem, ut ſubditi recepti, *Schirmsvervvanten.* à quibus porrò differunt clientes, qui non ſunt ſubditi, de quib. infr. *de Jure Protectionis.* Quidam homines proprii, *Eigen lute, arme lute*, de quibus tit ſq. Et facit huc reſcriptum Imp. Ruperti:

WIr Ruprecht &c. Entbieten dem Amman und dem Rate zu Altdorff in Coſtentzer Biſthum gelegen, unſer gnade und alles gut, Lieben getruvven, Als vvir uch vormals geſchriben und gebotden haben, das ir unſern Lieben Andechtigen Abts und Convents des Cloſters Wingarten eygen lute by uch zu Altdorff nit zu Burgern uffnemen noch empfahen ſollent, Alſo iſt noch unſer ernſte meynunge daß ir das ane der obgen: Abts und Convents vvillen vviſſen und verhengniſſe nit dun ſollent, vvers aber das dieſelben Abte und Convent zu Wingarten etlichen iren eygen

eygen luten erleubtent und guntent zu uch gein Altdorff ziehen und Burger daſelbs zu vverden, das iſt unſer meynunge und vvollen auch, daß ir dieſelben by uch Zu A. Zu Burgern empfahent und ufnement, und das ir uch den obgen: Apte und Convent darmne geborſamluhen bevviſet und nit vvidervvertig machent, als ir auch billuhen dunt. dievvile ir auch zu jn und iren Gotshuſe geborent, Als lieb uch unſer hulde ſy und ſvvere ungnade zu vermiden. Ork. diß brieff verſigelt mit unſerm Kunigl. uffgedr. Ingeſigel. dat. an. 1404. *&c.*

§. XXXVI. Ruſticorum Status ſeu Ruricolarum, *der Feldbauern* & ſimpliciter *der Bauern*, per ſe ingenuitatis eſt ſpecies, ſicut & *Adſcripti glebæ* Romanorum quà tales, non erant ſervi, *l.* 18. *l.* 21. *ſeq. C. de agricol. & cenſitic. l. un. de colon. Thrac.* itemque Longobardorum LL. Long. 2.18.3. De Græcis confer *Ariſt. VII. Polit. X.* In Rep. Romana veteri *Ruſtici Romani* etjam ultra plebejorum fortunam evecti cernebantur, de quib. Gronov. *lib.* 4. *de Pecun. veter. c.* 9. Ordinis Ruſticani neceſſitas in qualibet Republ. ex communi Prudentiæ Civilis parte cognoſcitur. Hinc privilegia & jura ejus ſingularia, de quibus Choppinus.

§. XXXVII. Hactenus de perſonis *liberis*, quæ preſſe *perſonæ* cenſentur, quum ſervi pro nullis habeantur jure Civili *l.* 32. *de Reg. jur.* Jure tamen gentium & quia utique in ſtatu aliquo vivunt, perſonam ſervilem gerunt, *l.* 22. *eod.* De ſervis Celtarum & Gallorum Jul. Cæſ. *L. VI.* B.G. *In omni Gallia eorum hominum, qui in aliquo ſunt numero atq; honore, genera ſunt duo (Druidum & Equitum) nam plebs penè ſervorum habetur loco, quæ per ſe nihil audet & nulli adhibetur conſilio.* (adhuc tamen liberi cenſentur, ut Ruſtici noſtri) *Plerique cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia ſunt jura, quæ Dominis in ſervos.* De ſervis Germanorum (Tacitus *de M. G. c. XXV.* ait: *Servis non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſteriis utuntur:* (ſed) *ſuam quisque* (ſervus) *ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus &c.* Hinc ſunt qui negant his Taciti verbis innitentes, veram ſervitutem Jure Germanorum extitiſſe unquam. Quò facit & *J. Sax. Prov. lib.* 3. *art.* 42. 2. *Da man das Recht von allererſt ſatzte, da vvar kein Dienſtman, und es vvaren alle leute frey, da*

 unſere

unſere Vorfahren zu lande kamen. & mox: *Wir haben noch in unſern Recht, daß ſich niemand Zu eigen geben mag.* Verùm ſciendum eſt majores noſtros in unum & eundem ordinem hominum redegiſſe & libertinos & ſervos, ut tit. præced. §. 2. oſten ſum ex Tacito & Nithardo, tria tantùm genera hominum moribus Germanorum conſtituentes: Nihilominus tamen inter ſeſe liberti & ſervi, & noſtro jure differunt: quâ ratione alii quatuor hominum genera referunt, ut ibidem probavimus. Porrò etſi ab initio Rei Germanæ ſervi ex propria natione non extiterunt, ſequiori tamen duo extitiſſe, ſaltem ex gentibus aliis devictis, Wendis præſertim, ſatis exinde conſtat, quod Domini jus vitæ & necis in ſervos habuerint, & omnia dominis per eos acquiſita & more Romanorum quoque ii manumiſſi Saxones Litos appellarunt, quos cum Leudis perperam nonnulli confundunt. *Vid. Gloſſar. du Freſne voc. Leudes, & Litus.*

§. XXXVIII. Sic igitur habendum: Germanos duplici hominum genere uſos, quos liberis & ingenuis hominibus contradiſtinxerunt, etſi non peræque, quosque communi vocabulo *proprios, leibeigen* appellarunt: unum eorum, quos Tacitus refert, qui libertis & adſcriptitiis glebæ, ſi jure Romano judicandum, rectiùs accenſentur, etſi eos Tacitus *ſervos* appellat, ex eo, quia moribus Germanorum non inter liberos aut Frilingos habebantur; ſecus ac jure Romano. Alterum iſtorum, qui jure Gentium & Romano verè ſervi ſunt. Hoc poſterius genus Chriſtiani Populi inter ſeſe ſuſtulerunt: prius adhuc hodie ſuperſtes eſt, *& homines proprii Wildfangii Leibeigne, eigne, arme leute,* adhuc vocantur, nec tamen ſervili conditioni accenſentur, ſed quaſi libertinæ. Sicut enim jure Romano etiam liberi homines glebæ adſcripti, aut alias morandi neceſſitate obligati, *l. Titio* 71. §. 2. *π. de cond. & demonſtr.* de quibus Arcad. & Honorius *l. un. C. de colon. Thracenſ.* ajunt: *Licet conditione videantur ingenui, ſervi tamen terræ ipſius, cui nati ſunt, exiſtimentur.* Ita Germanorum jure Proprium ſive *leibeigen* eſſe notat, *corpore boni ve ſine ſuperioris conſenſu, aliò emigrare non poſſe de jure.* Hortled. *de C. B. G.* 4: 48, 30. Limnæ. *J. P.* 7: 46, 10. Francis dicebantur *Glebæ ſervi*, itemque *Conditionarii*, qui tum agro ſer-

ſerviebant, alienabantur, acquirebantur, *Britto L. 4. Philippid. v. 5681. & ibi, C. Barth.* Etſi itaque verum eſt nullam eſſe in ſervorum conditione differentiam, Jure Gentium & Romano, eſt tamen aliqua jure Teutonico, vocabulo *Servitutis*, ſeu *Leibeigenſchafft* latius accepto: non quod tales verè ſint ſervi, ſed quod non per omnia ingenuis accenſeantur; contra Jus Romanum, etſi liberi ſint, ſed libertate ſatis reſtrictâ.

§. XXXIX. *Arme Lüte* ſæpius vocantur in antiquis diplomatibus, & *eigen arme lüte.* Rupertus Imp. in diplomate Comitum Ottingenſium ann. 1401. *Auch ſollen ire diner Burger und arme lüte, wo ſie die hant, vor debeinen Landgerichte &c.* Eccleſiarum & Monaſteriorum homines proprii vocantur *Gotteshüſſer lute*, qui tamen præter proprietatem ad Eccleſiam pertinentem, jure Superioritatis etiam ad dominum territorii pertinent. Rupert. Imp. in literis inveſtituræ Rudolpho Marchioni de Hochperg. datis an. 1401. *die Landgraffſchafft in Brisgaw mit Landgerichte, Hochgerichte, Manſcheffte und Wildpennen — und das auch alle Goteshuſer lute die in derſelben Lantgraffſchaft verbliben ſollen, welche aber daruß hinder ander Herrn oder Statte furen, den mochte er nachfolgen und wider vordun, als andere dar ſinen.*

§. XL. Hominum porrò propriorum duplex olim genus, unum ruſticanum, glebæ adſcriptum ad terræ culturam: alterum Nobile, ſine jure emigrandi. Inter homines enim proprios etiam Nobiles fuere. de his ita pacti ſunt Ludov. II. & Henricus fratres Com. Pal. ad Rhen. Duces Bav. an. 1262. *Was von Lehen fallig werden, die ſollen ſie an was wenden ſich ſolchs begiebt, mit einander leiben oder theilen. alſo ſol es auch gehalten werden mit den (eigen) Leuthen, was weſens die ſein, alſo das Ir jeder dieſelben Leuth mit iren Weibern und kindern aus In geboren, foran haben ſollen, wie er die der zeit in ſeinem gewalt oder dienſt biſſher gehabt hat. Ausgenoſſen Ulrichen von Chamerberg und ſeine kinder, die vermelter H. Heinrich ſeinem bruder Pfalzgraf Ludov. zugeſtellt, So hat Pfgr. L. entgegen ſeinem bruder H. verfolgen laſſen Ulrichen von Wiſſenhuſen mit ſeinem weib und kinder. Wo aber aus iren eigen leuthen jemand in beeder Fürſten gezirck hin und wider zuſammen heurathen wurden, das ſollen beede Fürſten gnediglich zulaſſen, doch das die kind der Mutter nachvolgen. Dergleichen ſol es mit den Pauersleuthen*

und andern mindern perſonen auch gehalten vverden. idem: *das ein jeder Herr dem andern ſol laſſen ſein eigen leuth oder diener, und die vvider des andern vvillen nit enthalten, oder kunfftiglich noch uf Zeit nit ufnemen, darin er ſie mit ſeinem bruder, des gnade und hulde ſie verloren hetten zuverſünen vorhett.* Item An. 1276. 4. Cal. Jun. *Item ein jeglicher diener er ſey des Reichs, oder einer Kirchen, der mag unſer einem dienen aus des unterthanen geſchlecht er geheyrat hat. Es vvolte dann derſelbe dem Reich oder ſeiner Kirchen mit dienſten anhangen, und ſolchs in gleicher vveiſe mit andern dieneru auch zuhalten. Aber von vvegen der diener oder leibaygen, derhalben ſich zvveiſel helt, vves ſie ſein, die ſollen deme unter uns dienen, deme ſie bißher gedienet oder angehengt haben, biß ſo lang ſie mit Recht übervvunden vverden. —— Und ſolchs ſol auch gehalten vverden mit den freyen dienſtleuthen, Hofgeſind und andern Edlen, vvelchen ire diener oder eigen leuthe von iren Herren gangen vveren.* Huc facit additamentum in Chronic. Konigshoven cap. V. fi. *do man zalt von Gots geburt M CCCC LXXII. jor do machte man Edellut zu Strosburg uf der Pfaltzen mit namen diſe: Bernhard Wimſſer der alt und Claus und Jocop ſine Süne, und Veltin Erhard, und Jocop Wimſſer, und Fridrich Nusbach der alter Wimſſer Welter &c. und verbundent ſich X. jor eygen zu ſin umb iren adel.* Sic Reſp. Argentoratenſis ſuperiori ſeculo cives, qui ſine permiſſu Magiſtratus caſtra aliena ſequuti, in conditionem Hominum Propriorum redegit: *die burger ſo vvider der Keyſ. und Königl, Maj. auch eines Raths gebot — verlauffen, und vvider anheim kommen, die hat ein Rath darüber zu hafften genommen und neben der Thurnſtraff Zu LEIBEIGEN gemacht, alſo daß ſie müſſen, Ir leib und gut nicht Zu vereuſſern noch zu verendern, ſondern ferner ſtraff zu gevvarten. darinn ſie zum theil noch ſtehen, etliche aber, die ire Eyd in vergeß geſtellt die haben ſie meyneidig erkant, der Stat evviglich vervviſen, und ſie bißher nicht einkommen laſſen.* Hortled. *de Cauſ. B.G. Lib.4. c.XCVIII. §.30.* Quo etiam facit *Chron. MS. Argent. pag.* 267. *An.* 1437. *da vvard zvveyen vvolgefreyeten Burgern Zu Straßburg die Stadt evviglich verboten, als nehmlichen den Ellhard und Adam Bock. Der Ellhard ſchvvur Undervvagnern, und muſte darZu der Stadt* 100. ℔. *pf. geben. Und Adam Bock ſchvvur in die Krautenavv, und gab auch* 100. ℔. *pf. Und Bernhard Murſell und Clade LänZel, Hanß Knoblauch: Walther Giegel und ſein bruder vvurden der Stadt eigen, und muſten ihr Gut geſchrieben geben und ſchvvuren.*

ihr

ihr Leib und Gut nicht von der Stadt zu enteuſſern. Und das geſchach ihnen darumb, daß ſie hetten umb den Biſchoffe gekaufft und ervvorben die Müntz, alſo daß niemand keinen gülden ſolt vvechſeln dann ſie, noch kein Silber kauffen und ander mehr ſtück, und vvere ihnen das geblieben, als ſie es vor hatten, ſo vvere Straßburg ihr eigen gevveſen, und muſten auch das von dem Biſchoff vvieder abtragen, und vvas die Statt den ſchaden gevvann, das ſollt auf ſie gan. Und da man zahlte 1442. kam König Friedrich von Oſterrich gen Straßburg uf S. Barthol. Tag, da kamen die 2. obgenanten und auch andere Æchter mehr vviederum in die Stadt.

§. XLI. De modo vindicandi aut perſequendi homines proprios, notanda eſt ex MS. Codice (in quo quidem Annus non adjectus erat; ſed tamen electus fuit Rex an. 1190. m. Junio, & Imperator Romæ inauguratus an. 1191. feſto Paſchatos. antea igitur & fortè in expeditione trans alpes hanc litem decidit m. Decembr. 1190.) Henrici VI. Imp. conſtitutio *de Homin. Propriis.*

Henricus DEI gratia Rom. Rex & Semper Aug. Notum facimus tam præſentibus quàm futuris quod cum quæſtio verteretur inter civitates noſtras Alſatiæ & ejusdem Provinciæ Nobiles & Miniſteriales ſuper propriis hominibus eorum qui ad ipſas civitates jam tranſierunt & adhuc ſunt tranſituri, ut lis eadem in perpetuum ſit ſopita & pars utraque ſuo poſſit jure gaudere talis coram nobis lata eſt ſententia: Quod ſi perſona aliqua alicuius nobilis vel miniſterialis propria ad civitates noſtras ſe contulerit gratia ibidem manendi, & Dominus ejus eum repetere voluerit, ipſe dominus cum VII. propinquis ſuis ex parte matris qui vulgariter nagilmage *nuncupantur, quod ad ſe jure proprietatis pertineat, hominem illum debet obtinere. Si verò propinquos vel conſortes aliquo caſu dominus non potuerit habere, adhibitis ſibi duobus teſtibus idoneis de vicinia unde homo qui repetitur ortus eſt, probet quod hominem illum antequam ad civitates noſtras ſe contuliſſet jure proprietatis habuerit in ſua quieta poſſeſſione, & inſuper manuſeptima ſuæ conditionis tactis Sanctorum reliquiis probet ad ipſum, & ſic homo ſuus reſtituetur eidem. Decernimus etjam & firmiter præcipimus, ut univerſi nobiles & miniſteriales ſicut dictum eſt, homines ſuos proprios obtinere cupientes Civitates noſtras ſub pace & ſecuritate noſtra ingrediantur & abinde ſine gravamine & læſione & à Sculteis & à conſilio civitatum noſtrarum ad eorum requiſitionem conductus eis præbeatur. Ad cujus rei certam evidentiam impoſterum duraturam præſen-*

tem

tem chartam conſcribi juſſimus & ſigilli noſtri munimine roborari. Datum apud Baſileam XVII. Kal. Januarij.

Notabilis quoque Charta vetus Henrici Comitis de Ortenberg, qua confitetur ſe conveniſſe cum Ottone Com. Pal. ad Rhen. & Duce Bavar. & ejus heredibus de Hominibus ſuis Propriis, ut poſſint nubere hominibus propriis Ducis Bavariæ, ita tamen, ut ex iis nati, æqualiter inter Duces & Comites ſint dividendi. Actum Burckhauſen VIII. Cal. Auguſt. 1239.

§. XLII. Jus tollendi conditionem hominum propriorum & manumittendi neceſſitatem, competit Imperatori. Quò pertinet diploma Ruperti Imp. *Leibeigenſchafft zu Stullingen ufgehoben.*

Wir Ruprecht &c. das wir haben angeſehen fliſſige und redliche bete des Edelen U. L. G. Johanſen von Lupfen Lantgrafen Zu Stulingen und herre zu Hœnack, und haben yme von unſern beſundern gnaden das Stettel Stullingen gefryet und fryen daſʒ auch in craſſt dis brieffs und Rom. Kunigl. mechte folkomenheit, alſo das alle die Lute die ytzund darynne ſitzent oder wonhafft ſint, oder hernach daryn ziehen werdent, fry ſin und ſitzen ſollen. Und das auch nyeman in daſſelbe Sloſʒ Stulingen erben ſol dan deſſelben der dan von todes wegen abgegangen iſt, nechſter erbe. Es ſal auch nyemant darynne fallen *den einen* rechten ſchlechten hauptfall, *und das uberge gut ſal aber den rechten erben werden — Geben Zu Augſpurg ♀. Aſſumt. Mar.* 1401. Eodem jure uſus Rex Galliæ per Alſatiæ provinciam.

§. XLIII. Formula Teſtimonialium de ingenuitate impetrari & concipi ita ſolet: *Daſʒ ſie recht und frey gebohren, der Servitut der Leibeigenſchafft in alle wege frey, ledig und loſʒ, und niemand eigen oder laſʒ ſeyn, alſo daſʒ ſie mit ihrem Leib, Haab und Gut wol anderer Orten hin ziehen, Schutz, Schirm, Bürger Stadt- und Marckrecht ſuchen können. Beſold. Theſ. Pract. voc. Burger.*

§. XLIV. De matrimonio ſervæ ſeu hominis proprii cum ingenuo ſub conditione libertatis vide caſum qui ſuperiori ſeculo contigit & deciſus in Helvetia fuit apud *Goldaſt. T. 3. Rer. Alem. pr.*

§. XLV. Porrò homines proprii etiam nobiles ſolenniter quoque manumittuntur. Cujus rei non contemnendam

dum antiquitatis Germaniæ monumentum de A. C. 1279. nondum impreſſum ex authentico exhibemus: *Burgkgrav Otto zu Kirchberg, leſſet Dietrichen und Wittichen Gebrüder von Konitz aus ihrer Knechſchafft, damit ſie Ihm* jure Smurdorum *von alters her vervvand gevveſt, loß: und gibt ſie dem Cloſter Capellendorff alſo daß ſie demſelben jährlich uf Michaelis ein gulden groſchen* monetæ ejusdem fori *geben ſollen: geſchehen uf Schloß Windbergk Anno* 1279.

N*Os Otto Burggravius de Kirchberg de pleno noſtro arbitrio, omnibus hoc ſcriptum intuentibus, notum eſſe volumus, quod nos Th. & Vitgonem fratres de Contizee, ex ipſorum ſervilitate nobis in jure Smurdorum ab antiquo aſtrictos, manumittimus à tali late & libere ſervitute, & conferimus ipſos cœnobio ſanctimonialium in Kappellendorff. Daturos ipſos ſingulis annis ſolidum denariorum in feſto beati Michaelis, moneta illius fori. In hujusmodi manumiſſionis teſtimonium perhenniale, & ut talis donatio à noſtris impoſterùm non poſſit impugnari præſentem literam fecimus conſcribi & noſtro Sigilli munimine fecimus roborari. Hujus rei teſtes ſunt Mehardus de Leſten. Gottfridus miles de Kirgeberc. Heinricus miles de Gene. Albertus de Svvabehuſen. Witicus de Kirsberg. Th. Rize & alii quàm pluresfide dign. Dat. in Caſtro Witberg. (leg. Winberg) Anno Domini M. CC. LXXIX. Sexto Id9 Junij.*

JVS SMVRDORVM. & re & nomine hodie ignotum. Videntur autem Smurdi fuiſſe genus Sclavorum ſeu Soraborum ad Salam habitantium, & à Germanis in ſervitutem redactorum. Certè recenſentur inter illos etiam Svordi & Svardones, *Brotuff. Chron. Mersburg. l. 1. c. 14.*

JOHANNES BAPTISTA STÆDELIVS

Dum de *Juris publici fine & Objecto* diſſerit

In ſui nominis famam. Amicorū exemplū. Omnium lætitiam,

Quod diſſerit, ediſſerit.

Hem! materiem meritis parem!

Utrisque non minorem mercedem

Sincera pietas. Subactum Ingenium

Indefeſſus Labor, Infucati Mores

præſagiunt

E Ipſe

Ipſe abnuit, pauci invident, multi ſperant, Omnes comperient.
Poſt ſuperatos ſeverioris Philoſophiæ clivos
Poſt calcata hiſtoriarũ Gentium monumenta
Poſt feliciores in Jure Privato progreſſus
Ne ſemper in alveis fontibusq; neve usq; in cloacis mergeretur
emerſit
Ut vaſtiſſimum Juris Publici Oceanum
Tentet, Terat, Tranſeat.
Hinc
Speciosum delicatioris hujus ſtudii ſpecimen edit, quod nec
tempus edet
nec Invidia delebit, nec Poſteritas dolebit
Foetus iſte fato
Et Illuſtris AVTHORIS & Nobiliſſimi DEFENSORIS
Superſtes futurus
Et Flam̃as & Fures ſubterfugiet.
Benè factum!
Optime DEFENSOR
Aſpiret Tibi Deus, ut prolixius *Speres*, *Defendant* patroni ut
ſæpius defendas
Com̃ilitones & Amici
Tibi & Sibi
Largiſſime
Gratulantur & plaudunt.
Hoc tandem quicquid eſt Elogii
Defenſore dignum
Amicis gratum
Memoriæ ſacrum
Sibi denique non infelix & funeſtum fore
Exiſtimat Author
JOHANNES GEORGIVS SCHMIDIVS.
Argentoratenſis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE